



Epistola Christiani Francken, in qua deplorat suum a societate Jesu et Ecclesia Catholica discessum ejusque fidem ac religionem a se temere oppugnatam

<https://hdl.handle.net/1874/9513>

6

EPISTOLA

CHRISTIANI
FRANCKEN, IN QVA DE-
PLORAT SVVM A SOCIETATE IESV
ET ECCLESIA CATHOLICA DISCESSVM,
eiusque fidem ac religionem à se temerè
oppugnatam.



WIRTZBURGI,
Excudebat Henricus Aquensis.
ANNO M. D. LXXXIII.

ADMODVM RE-
VERENDIS DOMINIS IE-
SVITIS VIENNAE IN AVSTRIA
DEGENTIBVS

CHRISTIANVS FRANCKEN.

S. P. D



VM miser ego peccator errorem tandem meum agnoscens, dignum heresi mea supplicium diuinum expectarem: ecce omnipotens & misericors caeli, terraeque Imperator CHRISTVS Opt. Max: hoc mihi pro haeretico Dialogo non ita pridem contra vos scripto, & ipsi à me dedicato Catholicum nunc donum dedit, vt, cum non ego haec tenus vobis, reliquisque Catholicis; sed in me existens, meque semper agitans fanaticus Pauli Florenij Spiritus fuerit inimicus: hic precibus iam vestris sit à me fugatus, pristinaeque proinde possim, si id credere, mei que misereri velitis, restitui sanitati. Hoc autem, vt spero, credetis, cum totum vobis mea descripsero cursum vitae, à meo ex Societate IESV discessu ad hunc vsq; diem, confectū.

A vobis in Februario, ex tota verò Societate Martio mense anni 1579. discedens recta Pragam ad Paulum Florenium contendi, vt ibi quaererem eam, quam iam dudum amissam, apud vos recuperare non poteram, animi pacem, & tranquillitatem.

Is etenim mihi quiduis potius, quam Catholicam fidem esse falsam suspicanti, imò vel hanc esse veram, vel omnes quae vbi que sunt, falsas esse religiones credenti persuaserat tandem, non tam rationibus, quam mirificis suis moribus, istam quoque religionem non esse veram: Sed aliā quandā in sacris literis diuinā fidē latitare paucis hoc tēpore perspetā, breui tamen mundo reuelandā. Qua sanè re effectū est, vt post ipsius ex vestra Societate discessu & totum mundum regi ignorantia suspicarer, & certa me spoliatum religione sentirem, & animum meum tanquam vas vacuum Christi tantum fide signatum viderem: eademque

de causa, multò mihi faciliùs mori fuisset, quàm diutius apud vos manere, & veræ cognoscendæ religionis causa ad illum non proficisci.

Nam ad eòdè anxiis de vera Christi Ecclesia cogitationibus iactabar, & perpetuis animi stimulis concitabar, vt nullo certo loco sine certa religione consistere, ac viuere posse viderer. Verum cum hominem ad quem tanto religionis studio rapiebar, Pragæ conuenissem, & aliquot apud ipsum dies commoratus essem: deceptum me vidi, penitusque ex eo perspexi, quod adhuc Viennæ ille mecum in vestro Collegio conuersans, præclarum se mundi huius, & omnium, quæ sunt in mundo, contemptorem ostendisset, & diuinas, nescio quas, virtutes, toti orbi Christiano profuturas iactasset: iam verò eundem cernerem totum vanum, & aulicum, diuitiarum & lucri cupidum; mulierum amantem, & futillissima quæque inanis gloriæ simulachra consectantem.

Hic ego statim meum à vobis discessum deplorare, quasi quæ ductis post tergum oculis viso IESU à me relicto grauitè suspirare, atque sic mecum loqui cœpi: Quid nunc miser tantopere deceptus ages? Ad hunc enim tu hominem tanquàm ad diuinum quendam totius mundi futurum reformatorem, omnibusque Iesuitis meliorem confugisti: nunc verò quid in eo cernis, quod non totum sit humanum. longèque deterius moribus Iesuitarum? Ad Iesuitas ne igitur redibis? at tanto confusus dedecore posthac apud eos attollere oculos non audebis; & ita tua ibi vita multò ipsa erit morte miserior. An ad Euangelicos transibis? at hi Christiani præter nomen ferè habent nihil: quippe qui soli contenti fide, ab omni fermè charitatis & virtutis studio abducuntur, quare multò tibi fortasse honestius & leuius foret occidi à Catholicis, quàm viuere apud Euangelicos. Atque his, & huiuscemodi alijs, in diurnis, tum nocturnis angoribus, & desperationum procellis per integrum mensem in Bohemia conflictatus, & veluti in orbem, modo ad vos, modo ad Euangelicos animo raptatus, tandem verò omnino in Lutheranorum sedem, & regionem sum deportatus. Nam à Florentio digressus, atque ijs, qui me ad se inuitarant, Bohemis nobilibus valere iussis, Mai o mense in Saxoniam concessi: ibique afflicti mei releuandi animi gratia præcipuos Lutheranae religionis doctores inuisi. Sed ignescio quo modo vel à me refugerent, vel mecum Theologiae adyta ingressi, græculis tantum quibusdam verbis, & in his potissimum duobus

illis

illis aduerbiis, *φουσιῶς* & *ὑπερφουσιῶς*, me de grauissimis rebus dubitan-
tem, aut disputantem consolarentur: cumque his oculis non conten-
tus ad rem statim ipsam sermonem conuerterem, aliquo me affectum
conuicio dimittebant: plerique etiam, me totum adhuc Iesuitam esse,
famam vbique dissipabant, nec prius mihi credendum, quàm à multo
vino, vel cereuisia bibenda, & ab vxore ducenda non amplius abhor-
rerem. Qua tamen iniuria non magnopere commouebam, eò quòd pro-
bè scirem, necesse esse eos, qui crasso præditi ingenio, ad Philoso-
phiæ medullam penetrare non valent, circa græcula quædam verba tã-
quam circa corticem perpetuò oberrare: & qui fordido sunt animo,
non posse non pluris facere corporis, quam animi voluptates. Quare vt
summa inuenirem, in Saxonia, reliqua: animi certè pacem non inueni,
& quod præ hac contemnerem omnem corporis commoditatem, fru-
stra me duobus in locis sunt retinere conati. Etenim cum tres ferè mè-
ses in variis Saxonix ciuitatibus, maximè verò, Dresdæ, Lipsiæ, Wi-
tebergæ, Magdeburgi, Brunsvigiæ, Gardelebiæ, consumplissem: ac-
cepto in patria viatico, iter Geneuam intendi; si in ea fortè vrbe repe-
rire possem, in quo mens mea conuiesceret. Quò cum Septembri
mense, post visas in itinere Heidelbergensem, Tubingensem, Basili-
ensem, Academias peruenissem, statim Bezam inuisi: Sed is aduersa
valetudine detentus, non potuit tunc de rebus Theologicis mecum
agere: nec quenquam alium, qui mihi quidem placeret, doctum ibi
virum vidi. Geneua itaque reuersus sum, eadem ferè, qua veneram, via
Basileam: vbi instinctu Rectoris eius Vniuersitatis, Colloquium illud
Iesuiticum ex Pauli Florenij ingenio totum ferè profectum, à me verò
contra vos conscriptum & antea quoque Lipsiæ editum, denuo in lu-
cem proferendum curavi, adiunctis huic libello nonnullis, partim de
sacra Eucharistia, partim de prædestinatione paradoxis, ex meo folius
capite, tunc malè sano, depromptis. Eius autem Colloquij materiam
errnè totam mihi à Florenio esse instillatam, testis est locupletissimus
& reuerendus P. Laurentius Magius, per Austriam tunc, Morauiam, &
Bohemiã Prouincialis: nempe qui post suspectum eius hominis ex
ocietate discessum, facile à me impetrauit, vt præcipua doctrinæ capi-
a Ecclesiæ Catholicæ contraria, ab ipso mihi communicata litteris cõ-
signarem, consignataque sibi traderem. In quo scripto eadem profectò,

quæ in dialogo postea edito cernuntur, & multa adhuc alia, quæ ibi non inserta reperiuntur, legere licet. Itaque quas mihi in eo colloquio de Pontifice Romano, & Virgine Lauretana sumpsi partes non mei ingenij, sed Pauli esse Florenij constat. Meæ verò fuerunt duæ illæ spirituales tentationes ex Iaponicarum lectione literarum ortæ, & summa nocendi voluntas, ex infinito meo, in Paulum Campanum Pragensis Collegij Rectorem odio nata. Nam vt Societati IESU, cui omnem meam quamuis exiguam, eruditionem, grato animo acceptam ferre debebam, plurimum meis scriptis nocerem. Florenium ego in illo dialogo hominem appellauì singularem, diuinum &c. quem tamen iam scirem eam mentitum in Societate virtutes fuisse; vt ex ea deinde discedens, exemplo ipse suo multos ad idem faciendum commoueret. Sed fortè nemo vestrum credit, ex huiusmodi meis de Florenio malis opinionibus proficisci id potuisse quod in fine proœmij eius colloquij Basileæ reculi extat incredibili meæ erga ipsum gratitudinis argumentum: pietatis nimium, beneuolentiæque in me suæ paternæ quasi insignia sic animo impressa, insculptæ meo manere, vt æternum ipsi, si non in hac at in altera vita apud omnes spiritus beatos mentem meam cernentes præstitura sint monumentum. At illa ipsa verba ex summo mei, erga Reuerendum D. Casparum Christianum Præpositum Closterneuburgensem, amoris fonte hausta esse, proindeque temporis causa ad Florenium deriuata, testem inuoco eundem Præpositum & R. P. Laurentiū Magium, qui in meis ista verba literis Viennæ scriptis viderunt. Quod verò ad mea illa, quæ de Eucharistia, & Prædestinatione contra vos scripsi paradoxa attinet: fateor in iis rebus diuinis nimium me curiosum fuisse, & post abiectam Catholicam fidem, tatummodo in illis mysterijs quæ reprehenderem, & oppugnarem inuenisse; nihil autem, quod ipse crederem, & propugnarem, reperire potuisse: vt in iis ipsis videre paradoxis licet, & inde quoque intelligi potest, quod ab eo tempore, quod vobis discessi, nec vsquam sacram synaxim sumpserim, nec vllius Sectarij de Prædestinatione, alijsve rebus diuinis conciones æquo animo audiverim.

Hiscæ libellis (vt ad institutum meæ peregrinationis cursum reuertar) Basileæ editis, nauigauì inde Octobri mense Argentinam: in qua Ciuitate non ita multis post diebus contra Doctorem Theologum

Marba-

Marbachium pro bonis operibus sic visus sum publicè disputare, vt & ille responsione tandem destitutus conticesceret, & ego ab aliis Professores responsionem expectans, tacere à Decano iuberet: cuius rei testes plures sunt, quàm ducenti, qui ei disputationi interfuere, studiosi. Sequenti porrò hebdomada cum Sulmensium Comitum rogatu iterum argumentari vellem (ter enim Argentinenfes Professores easdem solent theses propugnare) in liberrima sua, vt prædicabant, Theologica disputatione sum repulsam passus: ægrè id ferentibus multis, & quia me disputare non permisissent, ex Gymnasio statim discedentibus. Cum hac ratione Argentina innotuissem, rogor à Comite Polono Iohanne ab Ostrorog, vt, quoniam hyems adesset, & aliò proficisci cōmodum non foret, priuatim sibi & quibusdam aliis nobilibus Organū Aristotelis explicarem: victū pro eo labore, bonumq; in discessu viaticū recepturus. Ne multa, conditionem oblatam admitto, totaque illa hyemè, atque maxima etiam consequentis ætatis parte intra priuatos parietes docendo Porphyrij *ἑισαγωγῆς*, & Aristotelis *κατηγορίας*, librumque *περὶ ἔγγυμνείας* absoluo. In medio autem hoc mearum prælectionum curriculo, hoc est, vltimo die Aprilis anni 1580. monstrosissimū illum, & omnium, qui vnquam in mundo fuerunt sunt, & erunt stultissimum de omnipræsencia corporis Christi errorem publicè ita expugnauit, vt Doctor Pappus earum thesium propugnator, præter suum *περὶ φυσικῶν*, quod responderet, non habuisset.

Argentina Kalendis Augusti discessi Noribergam, ibi quoq; meam ariclitaturus fortunam. Et sanè humanissimus eius Urbis Senatus interum annum, & eò amplius suis me deuinctum beneficiis retinuit, vt in chola sua, atque ad eò Academia Altorfiana aliquam in docendo operam nauarem: id quod & facere institui, sed impeditus postea partim *ab aliis*, partim à meipso fui: ab alijs quidem, quia cum ibi publicas aliquot lectiones Aristotelicas in omnium, qui illuc sunt, auditorum frequentia fecissem, tum Iohannes Thomas, Freigius Iuris Doctor, & eius Scholæ Rector sibi suæque doctrinæ timens, (expulso enim Aristotele Petri Rami placita is sequitur, atque *ἄσπονδον πόλεμον* cum omni- us Peripateticis susceptum habet) cœpit statim omnes meos auditores inimicorum loco habere: & hospitem meum, ne suis in ædibus me retineret sollicitare: & certos quosdam homines, qui in lectionibus meis

strepitum excitarent, clam submittere: & nonnullos contra me con-
scriptos Pasquillos per totum illud oppidum spargere. Quibus ego in-
iuriis commotus ipsum publicè in publicum certamen Philosophicum
prouocauit: ad quod quia nec ipse Rector, nec sectatores eius venire au-
derent, sed barbarorum hominum more in gladiatorium certamen me
exposcerent: idcirco præstantissimus D. Hieronymus Baumgartner
Septemuir, & Scholarcha Noribergensis statim Altorfium aduolauit,
meque inde incolumem in Urbem reduxit: ubi à mense Ianu. ad dies
vsque caniculares huius anni publicè docui in magno hypocausto Ab-
batis Egidiani: auditoresque habui omnes ferè eius Urbis Doctores,
Concionatores, Ludimoderatores, doctosque Senatores, & Patricios
iuuenes. Diebus verò canicularibus dimissionem peti, eamque 20. die
Septembris à Dominis Scholarchis impetraui. Post impetratam autem
dimissionem Noriberga VVratislauiam me recepi. A me ipso etiam,
id est, ab animo meo semper repugnante, ac resistente impeditus fui,
propterea quòd necdum, quam quærerem, certam religionem inuenis-
sem: imò quòd in animo meo iam antea certa religione vacuo, Christi
tamen adhuc fide signato, hoc ipsum quoque signaculum non nihilla-
befactatum esset, neque ibi, neque alibi apud Euàgelicos consistere me
posse sensi.

Tantum igitur abest, vt post meum à vobis abitum, veram aliquam
religionem, veramque animi pacem & tranquillitatem inuenerim, vt
propè etiam animam, cum tota ferè (proh dolor) Christiana fide perdi-
derim. Summa enim vi spiritualium tempestatum, & maximarum con-
cursu tentationum ex tutissimo, tranquillissimo, placidissimoque So-
cietatis IES v portu in altum mundi huius mare abreptus, firmaque me-
tis anchora, & solido veræ Ecclesiæ gubernaculo priuatus, incerto & ter-
rabundo animi cursu in immensum vagabar: fracta; tandè ad crassissima
Lutheranorum saxa, & latentes Calvinistarum scopulos mea fidei Chri-
stianæ nauicula, errorum profunditate magis semper, magisque demer-
gebar. Verum enimvero in hoc tanto meo circa fidem naufragio, inti-
mis tamen religionis stimulis mens mea concitata, hanc demum quasi
tabulam à Paulo Florenio sibi extortam, iterum arripere, ne omnino
periret, coacta est: Non omnem videlicet religionem, qua, qui cuncta
creauerit, quique omnia gubernet Deus colatur, esse falsam posse, sed
Catholicam

Catholicam veram esse: quia hæc sola ad omnem sit pietatem propen-
 sissima, quia in hac quondam dulcissimis Spiritus sancti consolationi-
 us, clarissimisque eiusdem testimoniis confirmatus fuerim: quia de-
 ique in ista religione ardentem charitatem cum vera fide coniunctam
 ipse olim habuerim, & alios habere senserim; Euangelicorum vero
 religionem solo nomine esse Christianam: quippe cum in ea nihil ferè
 nisi Euangelium eiusque veritas iactetur, interim tamen non aliter vi-
 satur, ac si de ipsius falsitate non dubitaretur: quapropter maximè isti-
 usmodi hominibus conuenire, quod vir ille ingeniosus de insanis ho-
 minum studiis ad nepotem scribens suum ait: Magna profectò insania
 est, Euangelio non credere, cuius veritatem sanguis martyrum clamat,
 apostolicæ resonant voces, prodigia probant, mundus testatur, elemē-
 ta loquuntur, Dæmones confitentur. Sed longè maior insania, si de E-
 uangelij veritate non dubitas, viuere tamen, quasi de eius falsitate non
 dubitares. Nam si illa sunt vera, difficilimum esse diuitem ingredi re-
 gnum cœlorum, quid cumulandis quotidie diuitiis inhiamus? & si il-
 lud est verum, quærendam gloriam, non quæ ex hominibus, sed quæ ex
 Deo est, cur à iudiciis hominum semper pendemus, Deo placere nemo
 est, qui curet? & si firma est in nobis fides, futurum aliquando vt Deus
 dicat: *Itē maledicti in ignem æternum: & rursus; Venite benedicti,*
possidete regnum paratum vobis à constitutione mundi; cur nihil mi-
nus aut timemus quàm gehennam, aut speramus quam regnum Dei?
Quid possumus aliud dicere, nisi multos esse nomine Christianos, sed
re paucissimos? Rogo itaq; etiam vos, ô Patres, & Fratres mihi in Chri-
sto ante biennium charissimi: rogo vos quantum possum: rogo vos
plus etiam, quàm possum, vt me errantem ouiculam, si non ad propriū
vestrum, (scio enim per constitutiones vestras non licere in Societatem
I E S V *recipi hominem, qui semel fidem Catholicam abiecerit) saltem*
in commune Ecclesiæ Catholicæ ouile recipere velitis, vt ibi si Domi-
nus I E S V S grauem mihi hunc lapsum ignouerit, salutem: sin despex-
erit peccatorem, habeam saltem illuc sepulchrum. Quod si precibus istis
meis non contenti, pœnas quoque aliquas expetitis: satis ego multas ha-
ctenus tum corporis, tum animi dedi pœnas: corporis quidē, eò quòd
mores Societatis I E S V mi prorsus infixi hærentes, per multas vbiq; per-
secutiones pepererint: animi verò, quia horam mœrore vacuam adeò

habui nullam, vt dormiens etiam auditus fuerim, cum casum huius
 meum deplorarem, tanquam intermortuis vocibus clamare: Miserere
 mihi mei, miseremini mei, vos saltem amici mei: quia manus Domini
 tetigit me. Aut si condonatis pœnis, merita tantum postulatis aliquando
 recordamini, quòd fideliter apud vos totum Philosophiæ curriculum
 docendo biennio absoluerim, & breui eo tempore non minus præstiterim,
 quàm, qui ante me istic Philosophiæ Professores fuerunt, tototriennio
 præstiterant: quodque neminem meorum discipulorum, neque
 quenquam alium à fide Catholica auerterim, sed omnes in ea multarationibus
 confirmarim: quod denique à vobis ita discesserim, vt de
 meis libris, & scriptis ne chartulam quidem mecum extulerim vllam.
 Atq; hoc loco totum ego mundum, qui hætenus me extra vestram religionem
 aluit, testem imploro; me nullas postea in hoc seculo operum
 quæsiuisse, nihilque contra votum castitatis fecisse, sed eandem
 quam apud vos Deo promisi castitatem conseruasse. At si reliquas
 quoque meritis saltem aliquam posthac meam in Religione constantiam
 requiritis: tum ita me iam affectum scitote, vt etiam si mihi vitam
 cõdonari non putarem, multò tamen occidi malim à Catholicis, quam
 viuere apud Euangelicos homines nulla nec solida charitate, nec virtute,
 nec doctrina præditos: & quantumuis nonnulli Catholici Doctores,
 quos Euangelici nostri barbaros vocant, errarent; multò tamen
 malim cum ipsis tanquam cum ingeniosis, & propter rerum, quas
 tractant, subtilitatē, necessario lingua barbaris, errare: quàm
 cum his, qui non lingua & verbis, sed doctrina & moribus sunt barbari,
 verum sentire. Valet Wratislaviæ.

viæ 18. Octobris Anno

1581.

*Primò Vienna Austria à Leonhardo
 Nafsingero impressa.*

